



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 506. Quinam sint infames infamiâjuris ex delicto alieno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Sanch. l. 2. moral. c. 26. n. 1. apud Wiestn. h. t. n. 55. iis contententem; siquidem diminutio bonæ existimationis apud viros honestos ex delicto, quale quid est infamia, actu esse aut sequi nequit, quamdiu crimen occultum est. His tamen non obstantibus, quod, quamprimum ex post evulgatur crimen, infamia completa confurgat, habeatque omnes effectus suos citra omnem aliam declarationem etiam criminis, unde etiam, si delinquens prævidens evulgationem teneri illum abstinere ab omnibus actibus alias infami interdictis admittunt Laym. l. c. n. 9. Castrop. tr. 29. d. 6. p. 20. n. 3. Wiestn. l. c.

Quæst. 506. Quinam sint infames infamia juris ex delicto alieno?

Resp. Tales sunt filii ac nepotes parentum injicientium in S. R. E. Cardinalem violentas manus c. felcis v. quod si quis in 6. perduellium & proditorum committentium crimen lætæ majestatis, l. quisquis. C. ad Leg. Jul. majest. illegitimè procreati, respectu tamen aliquorum effectuum tantum, cum etsi jure ecclesiastico repellantur ab ordinibus & beneficiis, non tamen à ferendo testimonio in judicio, munere tabellionatus, aliisque. Mol. l. c. d. 7. n. 5. Laym. l. c. c. 4. n. 1. annumerans infamibus carnificum & quorundam aliorum filios in Germania, ubi non tantum à dignitatibus & officiis, sed & ab officiis & mechanicis muneribus arcentur.

Quæst. 507. Quinam sint infames sententiæ Judicis?

Resp. infames evadunt sententiæ Judicis, quicumque accusati & ab eo condemnati crimine publico, id est, tali, cujus accusatio cuilibet de populo est permissa. §. 1. Inst. de publ. judic. qualia sunt crimina proditoris, falsi, adulterii. l. infamem ff. publ. jud. item rapinæ, furti, expilatæ hæreditatis, etsi enim ea delicta sint privata, secutâ tamen Judicis damnatione, infamiam irrogant. l. infamem. l. decuriones l. furti. l. si expillass. C. ex quib. caus. infam. irrog. uti & qui, ne de his accusaretur, pretio dato pactus est. cit. l. abletas. §. fin. item qui doli mali suo nomine vel calumniæ prævaricationisve in publico Judicio commissæ damnati per sententiæ Judicis, modò ea transierit in rem judicatam, & non sit aut suspensa per appellationem aut invalida. l. 1. & 7. ff. de his, qui infam. not. Sylv. v. infamia n. 12. Mol. tr. 4. de 7. & 7. d. 9. n. 4. Suar. cit. S. 1. n. 6. Perez in eod. tit. ex quib. caus. n. 9. qui etiam n. 12. monet, quod quis de aliquo horum damnatus à Judice evadat infamis, licet in sententiâ non fiat expressa mentio infamiæ, modo in ea crimen sit expressum. His annumerari possent, qui ignominia causâ exturbantur militiâ, ordine militari moventur, honoribus interduntur. l. 1. l. quod ait. l. est. c. ex quib. caus. infam. irrog. item deportati & ad tempus in opus publicum damnati. l. ad tempus. fustibus casti, ex justa tamen causa. l. illius. ff. de his, qui not. infam. ita Wiestn. l. c. 57. cum Perez l. c. n. 10.

Quæst. 508. Quinam sint effectus infamiae?

Resp. sunt potissimum sequentes, primò: quòd fiant irregulares, ita ut neque Ordines suscipere, neque in susceptis ministrare possint, eò quod in sortem domini vocari, & in ministerium sacrum deputari debeant non nisi homines immaculatæ vitæ

& existimationis integræ, Nav. in man. c. 27. n. 104. Suar. l. c. f. 2. n. 1. Laym. l. c. c. 4. n. 3. juxta can. fin. d. §. 1. can. infames. 6. q. 1. Secundo: quod infames, tam infami facti, quam juris accendantur à dignitatibus & honoribus, præsertim ecclesiasticis, cæterisque beneficiis. juxta l. neque famosis. C. de dignitat. §. c. 85. reg. jur. in 6. ubi: infamis non patiantur portæ dignitatum: & propter eandem rationem, quæ habetur c. inter dilectos. de excess. Prælat. ita etiam, ut horum infamium electionem factamque illis collationem ipso jure nullam dicant, Abb. in cit. c. inter dilectos. n. 8. Nav. cit. c. 27. n. 207. Mol. l. c. d. 11. n. 3. ipsi quoque pro usu externo receptum, licet asserant DD. alii, pro foro tamen interno seu conscientia quamcunque provisionem beneficiale illis factam subsistere volunt. Garc. de benef. c. 8. n. 47. & Castrop. tr. 29. d. 6. p. 20. n. 11. apud Wiestn. h. t. n. 59. eò quòd nullitas actus expresso juris textu non expressa (ut nullibi in jure expressa est nullitas provisionis beneficiæ talibus factæ pro foro interno) asserenda non sit. Tertiò: quòd eadem infamia removeat ab actibus legitimis, publicis muneribus, ut sunt officia Judicis, Assessoris, Advocati, Tabellionis, Accusatoris, imò & testis. c. testimonium. de testib. l. testium ff. eod. Quartò: quòd repellantur ab hæreditate testamento relicta, non solum, si parentes, sed etiam si fratres & sorores de inofficio testamento agant. l. fratres. C. de inoffic. testam. Perez. ibid. n. 16. & Brunnem. n. 1. Reiffenst. h. t. n. 61. Quintò: quòd, si deliquerint, severiori, quam alii, pœnâ coercantur, l. cit. & AA. cit. Wiestn. h. t. n. 60.

Quæst. 509. Infamia quamdiu duret, & qualiter aboleatur?

1. Resp. primò in genere: infamia ob crimen notorium ipso jure vel per sententiæ judicis irrogata perpetuò durat. l. ad tempus. C. ex quib. caus. infam. irrog. nisi à Principe, cujus autoritate imposta, aboleatur. §. hinc. post can. Euphemium. 2. q. 3.

2. Resp. secundò in genere: infamiam undecunque ortam à Clerico aboleri posse autoritate apostolicâ, indubitatum est, cum is huic supremæ jurisdictioni in omnibus subiectus sit, idem est de laicis jurisdictioni Papæ temporali subditis, imò & de aliis infamibus, quo ad effectus ipsis jure canonico interdictos, & sic absolute loquendo Ordinum & beneficiorum ecclesiasticos capaces reddere potest quoscunque; quod ipsum tamen facere non solet Papa, antequam ad Ordines & beneficia promovendus in pristinum bonæ existimationis statum restitutus sit à Principe aliòve supremo magistratu seculari, dum ab eo irrogata infamia, ut Wiestn. n. 63. cum Mol. l. c. d. 12. n. 3. & Castrop. cit. p. 20. n. 11. à se citatis, quâ autoritate apostolicâ si jure civili (à sacris canonibus juxta c. omnes. 6. q. 1. & dicta à nobis supra quòd ad hoc generaliter recepto) inducta infamia abolita sit, fundata in eo irregularitas cessat, ita ut jam persona pristinae famæ restituta ad ordines & beneficia absque alia dispensatione possit promoveri; si vero infamia inducta à jure canonico, non quatenus generaliter approbante inductam à jure civili, sed specialiter eam statuentem, v. g. hæreticis, S. R. E. Cardinales hostiliter persequentibus, restitutione famæ à seculari Principe factæ non aboletur ea in ordine ad effectus canonicos, v. g. ad Ordines suscipiendos, quin opus sit a-